

militare posset, defuit, ne senes quidem duo sexagenarii. Rumor inter hæc repentinus hostem propinquo esse attulit. Conclamatum subito ad arma: fed Hurones nostri, quos honoris erga stipatores corporis fui, et excubitores Gubernator deligerat, non ante in viam se dederunt, quàm rei divinæ, licet nocte intempesta, omnes adfuissent. Eadem in iis itinere toto pietas enituit, et magnam Gallis admirationem cum debita laude movit: eadem perseveravit, postquàm acies tota Chamblyum attigit, quem in locum convenire copias omnes oportebat. Ibi matutinas [ac serotinas] obire preces, tum publicas, ut in pago Lauretano mos tum privatas; fugere nocturna barbarorum aliorum conventicula, et choreas, licet affinium et cognatorum; visere duntaxat illos de die, et modestiæ ac pietatis ubique specimen edere, adeo ut, dimissis post victoriam copiis, non alio nomine Hurones Lauretani, quam sancti barbari, appellarentur, meque P. Vallantius, Residentiæ Montis regalis Superior dum Quebeco transiret ubi forte tunc aderam, fuavisime complectens, Gratulare tibi, mi Pater, inquit, totidem enim sanctos, quot Hurones Lauretanos habes. [Sanè, cum nuper Natali B. Virginis die omnes ad sacram accederent mensam vix in plerisque necessariam sacramento pœnitentiæ materiam reperi, ac totus fermè pagus adire sacrum epulum, omissa confessione peccatorum, potuisset.] Quæ porrò vivis inest pietas, eadem in morientibus elucet. Per annos quinque, quos hic transegi, nemo